R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.



Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

er ac
etã ſi
reſſe-
bus;
nus

9.

FRANCISCI NOGAROLLAE

COMITIS, ET EQVITIS.

CARMEN.

CAlliope præſens uatum dea, qua ſine nulli
  Scandere uirtutis culmina celſa licet.
Pande Helicona mihi, muſæoq; inſtrue, cantu,
  Daq; tuo ut poſsim fonte leuare ſitim.
Nam regum Onfredi de ſanguine maxima uirtus
  Eſt grauiore mihi nunc celebranda ſono.
Egregias laudes Onfredi, & fortia facta,
  Quæq; mari, & terris geſſerit ille canam,
Ingenium, rerumq; uſum, prudensq; gerendis
  Conſilium rebus, iuſtitiamq; ſimul,
Dicam etiam pelagi quòd ſe obiectare periclis
  Audacem patriæ magnus adegit amor.
Nam primus fuſas acies, claſſemq; tyranni
  Diſiectam patriæ nuntius ipſe fuit,
Cum patribus princeps titulo decorauit equeſtri,
  Quod paucis rarum contigit ante decus,
Te quoque non humili complectar carmine, diuis
  Addite Laurenti Iuſtiniane decus.
Plura locuturum toruis me aſpexit ocellis
  Calliope, multo ſparſa rubore genas;
Atque indignanti ſimilis non uiribus æquum
  Deſipere eſt certe ſumere dixit opus,

Maius opus Nogarolla moues, meditere parumper,
Si tuus hic oneri par labor eſſe poteſt,
Succumbes mihi crede oneri, quis ſcribere laudes,
Et tanti ualeat magna trophæa uiri?
Sic ait, at quantum poſſim tum mente reuoluo,
Erubui, uerum dicere uiſa mihi eſt.
Conſiliis parere Deæ ſtat certa uoluntas,
Quæ ſunt, quæ fuerint, queq; futura uidet.
In magnis uoluiſſe mihi non gloria parua eſt,
Debet enim uires noſcere quiſque ſuas.

Eiuſdem Nogarollæ.

IVſtiniana domus priſcis de regibus orta,
Auſonij columen nominis, atque decus,
Pace uiros ſemper genuit, belloq; potentes,
Sunt Veneti teſtes, littora lata maris.
Cælicolumq; auxit numerum, Laurentius ille
Hinc toto duxit clarus in orbe genus,
In ſummum pietate Deum, inflammatus amore
In genus humanum, præmia digna tulit,
Nam cœli conuexa tenet, fruiturq; Deorum
Colloquio, & dulci ueſcitur ambroſia.
Heroas ſi quos domus hæc tulit ordine longo
Illuſtres ego nunc enumerare uelim,
Auderem potius numerum comprendere arenæ,
Quæ maris adriaci littore denſa iacet,
Quæq; iugo aerij naſcuntur gramina Baldi,
Quæq; micant alto ſydera clara polo.
Te tamē ONFREDE haud tacitū præfecte relinquā,
Qui nunc Veronæ tam bene ſceptra geris,
Iuſtitia, & uera pietate, inſignis & acri
Prædius ingenio, conſilioq; grauis,

C 2 Magna-

Magnanimis qui longè atauis uirtute, piaq;
Conſpicuus præſtas religione tuis.
Dij lætos tibi dent annos, uiridemq; ſenectam.
Aſpiret uotis aura ſecunda precor,
Et Venetum toti imperium dominarier orbi,
Ante obitum, & uideas aurea ſecla tuum.

ALBERTI LAVEZOLAE.

Vere Dioneæ matri, cum picta refulget
Flore nouo tellus, myrtea ſerta damus.
Teximus & Cereri, gratiſſima dona, coronas,
Cum matura ſeges, flauet & omnis ager.
Nec non, pampineis ornatam frondibus, uuam
Ponimus Ogygio, Thyrſigeroq; Deo.
Sic ego, poſt ſæuas hyemes, munuſcula prima
Hæc tibi nunc ſacro, quæ meus hortus alit.
Forſan de pleno fundet tibi copia cornu,
Ni fœtus iterum uerberet ira Iouis.

SI quando obtectus galea uiolenter in hoſtem
Enſe ruis, Turcamq; ferox; Scythicique tyranni
Diſcutis horrendas acies; ſternensq; per undas
Corpora cæſa uirum, curris citus æquora ponti;
Flos Venetum, patriæ pugnans, ONFREDE tuorum;
Robore magnanimos heroas reddis, & ipſos,
Fundentes animam pro libertate, Quirites:
At populos quando egregia probitate gubernas,
Pondere ſubque tuo preſſum ſcelus omne remugit;
Simplicitasque uiget, propulſis fraudibus, atque
Pax, Amor unanimes ciues complectitur arctè,
Prudentum prudens imitaris facta uirorum,
Conſilijs ſteterat quorum reſpublica pace,
Et bello ſapiens fines extendit auitos.
IVSTINIANI igitur cuncti te iure nepotem,
Scipiadum & claro referunt te ſanguine cretum.

EIVSDEM DE STEMMATE Iuſtinianæ familiæ.

QVAE currit uolucris cælo Iouis ales aperto,
Et quercu, atque olea fortia facta notat.
Altera frons ciues, ſeruatos Marte cruento,
Indicat, & belli geſta referre uides:
Altera, ſunt dulcis ueneranda inſigna pacis,
Et placidè ſignant mitia facta domi.

Hæc

Hæc ubi demenſum pennis luſtrauerit orbem;
Celſa ſuper uictor ſphærica ſiſtet auis.
Tuncque biceps oculis (mirum) ſpectabit utrinque;
Et terræ cernens, imperiumq; maris:
Quà ueniens croceo Titan lucebit amictu;
Quaq; illum Oceani ceperit unda ſinu.
Egregia tandem ueniet uirtute propago
IVSTINI, merita hæc ſtemmata in aſtra ferens.
Milleque Perſarum claris decorata triumphis,
Conſpicuo ſemper fulſerit illa polo.
Talia dum caneret Proteus, ubi tingitur inter
Adriaci fluctus gens animoſa freti:
Vicini colles, uicinaq; flumina circum
Senſerunt udi numina magna Dei.
Stans Atheſis uoces figebat pectore uatis;
Cui Rex æquoreus ſcire futura dedit.
Dunque uagus Brenni longo poſt tempore tranſit
Mœnia, quæ tollunt clara ſub aſtra caput;
Signa Aquilæ agnouit, ſobolem referentis auitam,
Et genua inflectens hos tulit ore ſonos.
O natam imperijs gentem, quæ uiuida bello
Reſtituis priſcos in ſua iura lares:
Felices animæ, quarum prudentia pace
Inuigilat populis, Iuſtitiamq; colit:
Saluete; haud tantis decorat uos Fama trophæis,
Quàm maior ueſtro facta decore uolat.

EIVSDEM,

VEni ad balnea Gauderina; quorum
Mire detineor liquore grato:
Et, uerum ut fatear, nitere nunquam
Ante tam bene uiſa ſunt, tua quàm
Nunc lucent ope, diligentiaque.
Dudum cernere erat, uenuſtiora
Fontis numina ſuppudere lymphæ,
Cœno, & ſordibus inquinatæ: at extant
Pura, ſplendida, & undecunque clara;
Nec iam uiſitur uſpiam lepore
Quicquam, quod careat ſuo. His ſalutem
Dixi a te; atque eadem uidere uelle
Iamdiu ſtatuiſſe te: repente
Sunt uiſa erubuiſſe, quippe dicunt.
*Ergo I*VSTINIANVS *ille claro*
Satus ſtemmate nos adibit? ille
Qui nuper pelago imperabat? ille
Tantum quem trepidabat horridus Thrax,
Dum pugnans patriæ, hoſtium cateruas
Sternit Marte ferocior? miniſtrat
Et cui Mulciber igneus trilicem
Loricam, galeamq;, fulgidumq;
Enſem, quo uia fit ruenti in hoſtem?
Cuique puniceo cruore tincto
Dum uexilla rapit manu potenti,
Vires ſuppeditant Dei, Deæq;

Omnes

Omnes; & freta ſalſa non peroſus.
Inſtar Mercurij, lares reuiſens,
Seſe offert patribus? renuntiatq;
Dum mandata ſibi, Minerua docta
Cui dat mellea uerba, mox ferenti
Inſignes titulos? adibit (aiunt)
Huc nos imperium urbe cui tenere
Noſtra dat Venetus bonus ſenatus?
Cuius pectore profluit fidele
Semper conſilium, & latet repoſtum
Immundum nihil, & nihil malignum?
Hæc Nymphæ referunt, pudore quodam
Suffuſæ, & timidæ intimis medullis
Suſpirant; ueritæ ſatis decenter
Vt tantum excipiant uirum. loquentes
Repreſſi, & meritis tuis parari
Sibi ipſis peramanter indicaui
Poſſe debita; ſeq; gratiora
Nunc offerre tibi nequire, quàm ſi
Salubres latices fluant uiciſſem,
Queis morbo lateris leueris ipſe.
Gaudio exiliunt, ſimul cachinnant
Iam nunc Naiades, & ſuas lacunæ
Hic te delitias ſalubriores
Expectant auidè: tibi ſerenus
Aer iam datur; & canente lætum
Volucrum agmine lætiora quæq;
Promittunt medici. Venire debes

Ergo

Ergo; dum licet & per optimum anni
Tempus, conſule, ſi ſapis, saluti
Tuæ: iſtud cupit, expetitq; ualde
Ille, qui tibi plurimum fatetur
Se debere Cerutus; oſculatur
Manus quique tibi, ſuo patrono.
Vale Onfrede, meum decus perenne,
Dulce & præſidium; ut ſoles, me amato.

Ex Balneis Gauderinis Decimo Kal. Sextil.

Eiuſdem.

Hiccine qui dudum tectus fulgentibus armis
Miſcebat Thraci bella cruenta ferox?
Hunc autem ornatumq; toga, ſceptrumq; tenentem
Cur cerno populis iura ſacrata dare?
Fallimur? an uero falſa ſub imagine rerum
Hæcq; alium nobis picta tabella refert?
Vera eſt Onfredi hæc facies; Venetiq; Senatus
Talem habuere forum, curia, caſtra, uirum

Eiuſdem.

Lætatur reducem genitrix, lætatur ouantem
In patriam natum iam remeare ſuum,

D *Viderat*

Viderat Onfredum ſpolijs orientis onuſtum,
Nunc itidem inſignem querna corona facit.
Sanguine conſperſus Venetas tunc uenit ad oras,
Nunc Vrbem repetit pacis honore micans.
Tunc iuuit ferro Sythicum ſtrauiſſe Tyrannum,
Egerit at ſceptro mitius ipſe ſuo.
Illic exitio properabat perdere Thracas,
Hic potior noſtræ cura ſalutis erat.
Felix o genitrix natos ad utrumque paratos
Cui datur innumeros fundere poſſe ſinu.
Vera mihi de te credas, generoſa loquenti.
Eſt hoc non homines, ſed generare Deos.

Vincentij Circamontij Dialogus.

Verona, Muſa.

V. Eia age rumpe moras, tandem præconia noſtri
Præfecti toties Muſa rogata refer.
M. Quid tum, ſi nequeam tanto ſupereſſe labori?
Non tales gignit quælibet ora uiros.
V. Forſam id haud tanti faciet, modo prona uoluntas,
Inq; illum noſter ſit patefactus amor.
M. Præcipua hæc uirtus, & uero Principe digna,
Excipere humano corda benigna ſinu.

Quis

V. Quis non, ſeu faciem ſpectet, ſiue inclyta facta,
A ſummo natum dixerit eſſe Ioue?
M. Ni genus, atq; animum auguſtæ præſtantia formæ
Mentitur, ſimul & Martis alumnus erit.
V. Nuntia fama canit, quæ non inuoluere falſis
Audeat, aut nunquam perdere tempus edax.
M. Fortuna comitante, decus, Dijs proxima uirtus
Hoc illi peperit, peruigil atque labor.
Non ueteres ideo titulos, non regia iactat
Stemmata, nanque bona hæc uix putat eſſe ſua.
Verum illi exuuiæ, uexilla, Trophea, triumphi,
Et noua parta ſuo gloria Marte placent.
Vſque adeo haud alia ſeruari, ac regna parari
Sentit, & ad ſuperos ſternier arte uiam.
Hæc tantum meminiſſe ſat eſt, nam plura ſorores
Nuper ad auratam concinuere Chelyn.
Res Veneta interea meritò ſe publica tollat,
Huncq; diu cupiat rebus adeſſe ſuis.
Verona Illuſtri, ac tanto decorata patrono
Immemor haud unquam perſonet ore pio.
Salue Equitũ ſplendor, macte, ac uirtutibus Heros
Quas etiam per me norit uterque polus,

VALERII PALERMI.

Victor ab Argolico remeas dum littore, onuſtus
Turcarum exuuijs, bellaq; geſta refers:
Te tuba, te æra, graues tonitrus imitantia cæli,
Turbaq; Bellonæ te comitata canit.
Nunc tibi, Veronæ linquenti nobile ſceptrum,
Sub quo pax nituit, ius ſimul, & pietas;
Muſarum chorus omnis, oliuiferæq; Mineruæ,
Eſt comes, & dulci carmine cuncta replet.
Vnus ſic gemino gaudes, Onfrede, triumpho;
Sic decus armorum diceris, atque togæ.
Sic inſigne tuæ gentis, Iouis armiger, aptè
Hinc lauro, hinc olea cinget utrunque caput.

IOAN. IACOBI TONIALI.

SCilicet hoſtiles quod Mars proſcindere turmas
Enſe poteſt, cœlo nobile ſidus habet:
Ingenio celeri quod ſit Cyllenia proles,
Inſignis merito circuit illa polum:
At tu Onfrede ſatis cum ſis ſpectatus utrinque,
Quid referes? ſuperum tu quoque clauſtra petes:
Vtq; nites duplici claræ uirtutis honore,
Conſpicuum gemino lumine ſydus eris.

Tarquinii Morandi Sirenæ.

Spicula, dum ferro tectus, contorquet in hoſtes,
Et mergit claſſem fluctibus æquoreis;
Quæ Cypro, ueneri dilecta ſede, potita
Horribili implerat littora noſtra metu:
Dicitur ONFREDVS Martis certiſsima proles;
Et columen Veneti dicitur Imperij.
At dum commiſsis populis dat iura togatus,
Clamoſi tollens iurgia longa fori;
Dum, quæ tranquillæ ſpectant ad commoda pacis,
Et commune decus, perficit egregie;
Atq; inculpatæ uitæ ſplendore refulgens,
PRAEFECTI excelſa ſuſtinet urbe gradum;
Auguſti ſummis æquat ſe laudibus; idem
Iunctus ut eſt ſummis ſanguine Cæſaribus:
Pro claſſe euerſa, pro infido Thrace fugato,
Laudatas cingunt aurea ſerta comas.
Pro ſeruato æquo, pro parto munere pacis,
Ad ſe cunctorum uiuida corda trahit.
Præmia ſic quondam quæ ſunt conceſſa duobus;
Nunc uni uirtus inclyta diſtribuit.

Nicolaus Caluus Cloccus.

Diuis orte bonis, uenetæ ſpes maxima gentis,
Onfrede armipotens, qui uerus nuntius alto
Aduenìens patribus claro fulgore coruſcans
Atram, quæ miſeris ſe offuderat undiq; noctem
Excutiens, late lætam lucemq; diemq;
Rebus pertrepidis adduxti; cum ordine longo
Ducebas pompam, ac patriæ, dum pendet ab ore,
Narrabas, quæ tu ipſe manu, quæ cætera claſſis
Egerat in Turcas, pugnando Marte cruento.
Salue clara Deum ſoboles, decus addite terris,
Sisque tuis præſens, noſtroſq; ò magne labores
Euge leua, tua mirantes qui fortia facta
Te canimus, lætique tuos celebramus honores,
Atq; Atheſim ꝓpter quà currit flumine pulchro,
Hæc Vrbs, quæ tantum tibi ſe debere fatetur,
Quantum contendens poterit perſoluere nunquam,
Iuſtiniane tibi ſacrauit quatuor aras,
Iuſtitia ut, Pietas, Prudentia, magnaq; rerum
Intemerata fides uigeat tua tempus in omne.

Simon Ogerius.

OCeani linquens undas Hyperione natus
In Veronenſi non bene lucet agro.
Sed triſtes uultus oſtendens æthere ab alto,
Significat luctum pectus habere ſuum.
Naiadumq; pijs augentur fletibus amnes,
Atque Atheſis ſolito maior in urbe fluit.
Non Zephyrus tepidas demulcet leniter auras,
Horrifero tellus nunc Aquilone ſonat.
Non pictæ uolucres, uacui ſolatia ruris,
More ſuo ad uirides dulce queruntur aquas.
Alma Ceres alias procul hinc conceſſit in oras,
Nulla uides noſtro ſpicea ſerta ſolo.
Nec lætas nobis promittit pampinus uuas,
Et Pater ex noſtris ceſſit Iacchus agris.
Quæ cauſæ tanti luctus, tantiq; doloris?
Cuncta dolent, abitu uir generoſe tuo.
Cuncta dolent, cum ſe prudens Onfrede tuentur
Deſtitui, & currus hinc properare tuos.
Et merito lachrymas te diſcedente profundit
Verona, & querulum mittit ad aſtra ſonum.
Tu decus, & ſplendor patriæ, tu gloria magnæ
Vrbis, in Adriacis quæ dominatur aquis.
Non te nobilior quiſquam, de ſanguine claro
Cæſaris es, leges qui dedit imperio:
Quo te cumque moues, Aquilarum ſigna ſequuntur,
Magnanimique Iouis te comitatur auis.

Neſtora

Neſtora facundæ uincis dulcedine linguæ,
Inq; tuis uerbis uox Ciceronis ineſt.
Gratus in ore uigor, ſpecies digniſsima regno,
Et talis uultus qualis Achillis erat.
Virtutum eximius cultor, ſpectaris ubique.
Inq; Deum mira relligione pius.
Candidus, humanus, ſimplex, ſine fraude, doloq;.
Sincerusq; animis, Herculeaq; fide.
Largus opum, nemo ſupplex tua tecta ſubiuit.
Et ſubito latam non ſibi uidit opem.
Hoſpitio facilis, blandoque affabilis ore
Omnibus, alloquium qui petiere tuum.
Sanctarum cuſtos legum, uindexque ſeuerus;
Scylla parata malis, portus & aura bonis.
Ingenio excultus uario, rerumq; peritus,
Acri iudicio, conſilioq; bono.
Mirè Pierio muſarum incenſus amore,
Defenſorq; ſacræ Bellerophontis aquæ.
Dum te luminibus ſparget Titanius ignis,
Dum te Parcarum uiuere fila ſinent:
Nunquàm Pieridum poſtes pulſabit egeſtas;
Nunquam dira fames in ſacra tecta ruet.
Quod rutilans ignis glaciali menſe Decembris,
Quod nemus umbriferum, cum præmit æſtus humũ;
Quod portus trepidæ naui, quod meta labori.
Quod Liber curis, quod medicina malo:
Hoc ipſe es Muſis, cum Pindum turbat Auernus;
Et doctos homines ſors odioſa grauat.

Per

Per te purpureo nates Helicone fruuntur,
Per te gorgonei præpetis amne bibunt.
Per te Phœbea redimuntur Virgine, per te
Numine repleti numine digna canunt.
O lux Aoniæ turbæ, ſic itur ad Aſtra,
Perge decent iſtum talia facta uirum.
Nec ſolam Pallas Tritonia præbuit artem
Ingenij, armorum clarus honore nites.
Fortis es, & cautis prudens bellator in armis,
Et Martem iunctum cum ratione tenes:
Sic Ioue nata ſuum quondam celebrauit Atriden,
Cuius ſub ſceptris Græcia tota fuit.
Militiæ expertus, Fabiano milite cinctus,
Te mundo clarum, conſpicuumq; facis:
Quem uerbis, factisq; doces tolerare laborem,
Lætaq; pro patria uulnera ferre ſua.
Omnes mirantur Mauortia tela uibrantem,
Duraq; torquentem colla ferocis equi.
Dum præes hic armis, pax hic fuit optime ſemper.
Nec noſter timuit murus ab hoſte fero.
Componis lites, frangis diſcordia tela,
Quæ ſemper magni cauſa fuere mali.
Nec tua Veronæ tantummodo cognita uirtus,
Hanc etiam nouit ſolis utrumq; latus.
Præcipuè Ionio Mars eſt tuus æquore uiſus,
Et bene lunatis cognitus agminibus.
Cùm fera gens nobis manicas, & uincla pararet,
Terreretq; armis æquora ſæua ſuis.

Teſtis Naupactos, teſtes Acheloides undæ,
Quot Morti Turcas miſeris inferias:
Stans celſa in puppi, cinctus fulgentibus armis,
Threicio Ionias ſanguine tingis aquas:
Neue tuas adeat proles Othomanica puppes,
Ipſe caues dextra, flumineaq; trabe:
Qua ueheris, nemo properat contingere nauem,
Omnes te fugiunt, ut fugit agna lupum.
Et ſi quem dextræ propius fiducia duxit,
Protinus æquoreis piſcibus eſca cadit.
Talis apud Troiam patrijs pro nauibus Aiax
Inſignem Clypeum, fortiaq; arma tulit.
Nec mora proſtratis ualidè toto æquore Turcis,
Et capta hoſtili claſſe potente manu:
Unus es à cunctis inter tot millia lectus,
Lætitiæ in patriam nuntius ire tuam.
Vela facis; Nereus uentos aſpirat eunti,
Teq; citis Triton per mare portat equis.
Ipſe triumphali uectus per cærula naue
Ingrederis patriæ tecta ſuperba tuæ.
Remq; fide narras maiorem, Thracas in undis
Victos, & toto procubuiſſe freto.
Exciperis placido uultu, ſanctusq; Senatus
E cœlo lapſum te putat eſſe Deum.
Aſpiciunt hoſtes captos, uinctosq; cathenis;
Miranturq; arcus, barbaraque arma uirùm.
Et grates ſuperis ſoluunt, & carmina dicunt,
Exultantq; animis, lætitiaq; fremunt.

Templaq;

Templaq; barbaricis onerant ſacrata trophæis,
Suſpenduntq; ſacro Turcica ſigna Tholo.
Sed quo nunc elegi? reſonanda hæc carmine forti,
Mæoniaq; tuba fama canenda tua eſt.
Hæc quoq; ſuccedent Heros Clariſſime, nec tu
Pieridum cernes uerba deeſſe tibi.
Magnos Vergilios, magnos ſpectabis Homeros,
Qui grauibus numeris te ſuper aſtra ferent.
Dignus es Aonio celebrari carmine, dignus
Inter Cæſareos qui memoreris auos.
Nulli igitur mirum; ſi te, tot dotibus aucto,
Ablato gemimus, cauſa doloris adeſt.
Diſcedit, qui nos, ut natos mater, amabat,
Qui magni nobis Hectoris inſtar erat.
Quem nos uellemus dulcem hic conſumere uitam,
Filaq;, tergeminæ quæ tribuere Deæ.
Sed non ad uotum ſuccedunt omnia ſemper,
Et non perpetuo tempore gaudet homo.
Nec ſemper cernis ſolem fulgere ſerenum;
Sæpe ſolet nimbo turbidus ire dies.
Nec ſemper nauis pacata per æquora fertur;
Sæpe procelloſas nauita ſentit aquas:
Nec uer purpureis æternum ſpirat in aruis,
Et tellus iacta de niue tecta latet.
Lætari aſſiduè prohibemur ſorte maligna,
Riſus aſſiduos inuida fata negant.
Te reuocat patria, & magni decreta ſenatus,
Et læto uultu quod iubet illa facis.

I decus, i noſtrum, repetas fœliciter urbem,
Cui dedit æquoreum rex maris imperium.
Atq; ibi cum fueris fœlici ſede receptus,
Semper Veronæ ſit tibi cura tuæ.
At nos pro meritis omnes tibi fata precamur
Mollia, totq; dies, quot mare uoluit aquas.
Vtq; tibi tandem ſummi tribuantur honores;
Et princeps Patriæ conſpiciare tuæ.

Eiuſdem.

Dum Phrygias ferro turmas ſcindebat Achilles,
Et Xanti flauas cede replebat aquas;
Semper eum caſta cum Pallade Iuno tegebat,
Armatum dextra Lemnie diue tua.
Vnde rota ſemper uictrice in caſtra redibat,
Et dolor Iliacis matribus acer erat:
Sic Onfrede tibi dum miſces agmina Ponto,
Et frangis ferro Thracia caſtra tuo;
Ardentem clypeum uolucrum regina ferebat,
Atque Themis uires cum Ioue iuncta dabat.
Non igitur mirum, ſi uictor ab hoste rediſti,
Magnus enim magno numine ſeptus eras.

Angeli Mariæ Madij.

QVI cupit Onfredi meritorum noſcere cauſas,
Acta foris dextra, conſilioq; domi;
Numine ab æquoreo, diſcatque à Marte, togata &
Pallade; qui comites, quique fuere duces.
Tanta ſatis quando non eſt mortalis ad iſta,
Quæ ſint uera licet, ſunt ſine fine tamen.

Antonij Paſini.

Nuper exultans Atheſis fluebat
Lætus inſigni ſtudio, fideque
Maximi Onfredi, moderantis urbem,
Iuſtiniani.
Qui inclitus claris atauis eorum
Aequat illuſtres animos, nec ulli
Cedit aut belli trepido, uel almæ
Tempore pacis.
Labitur nunc, heu, tacito per urbem
Vortice, aſſurgit nec ut ante cornu
Vſque ſublato, ſed ad ima tendit
Murmure triſti.
Hoc quidem mœrens, quòd abire cernit
Præſidem, quò non alius gerendis
Vrbibus uiuit melior, nec aſpris
Fortior armis.

Aliprandij Bonuilli.

Hæc deuota tibi cecinerunt pectora uatum;
Onfrede, ò Veneti gloria magna ſoli.
Dum regis hanc iuſtus ſacratis legibus urbem;
Iuſtitiæ & ſceptrum IVSTINIANE tenes.
Plura datura quoque, extarent ſi munera, dignè
Quæ poſſent meritis ſe æquiparare tuis.
Accipe magnanime, & noſtros ne ſperne labores;
Grata hæc ſint, quando carmina corde fluunt.

DEL SIGNOR FRANCESCO MONDELLA.

Chi è queſti, che d'acciar ueſte d'intorno
Con le ſue ſteſſe man Marte, e Bellona?
Gli è quel, c'hebbe d'honor prima corona,
Quando fù à l'Othoman fiaccato il corno.

Chi è queſti, che di Palme, e lauri adorno
Da le muſe portato è in Helicona?
Egli è quel ſaggio, e buon, per cui Verona
È di pace, e d'amor dolce ſoggiorno.

Qual padre hebb'egli? Apollo. E qual ſorella?
La Dea d'Athene. E genitrice? Credo
Venere foſſe, la celeſte, e bella.

Dunque uoi cigni, che ſouente io uedo
Volar cantando in queſta parte, e'n quella,
Leuate al cielo il generoſo ONFREDO.

Del medeſimo.

Mentre di mille, e mille palme d'oro
Illuſtre, d'Adria à le gradite ſponde
Ti uolgi, i pregi tuoi l'aure ſeconde
Portan, uolando dal mar indo, al moro.

Di Theti i Numi, e di Parnaſo il choro
Di ricche gemme quei, queſto di fronde
Sacre d'Apollo in terra, e'n mezo l'onde
T'ergon trofei, di fama alto lauoro.

Fortunato Signor, di cui la gloria
Nel ſen di Eternitade al mondo uiue,
E mai ſempre uiurà con chiaro grido.

Tu, uincendo te ſteſſo, altra uittoria
Più degna hor porti a le paterne riue;
Onde ſona Vinegia ONFRIDO, ONFRIDO.

98-106-38

D'incerto Autore.

L'augel, che porta il fulmine di Gioue,
E ſicuro da terra al ciel s'aggira,
Col roſtro impiaga altrui d'amor, non d'ira.
Et premi, & gratie nel ſuo imperio pioue.

Non uolgendo in oprar mai l'ale altroue,
Ch'al ſoffio, il qual ne' ſuoi gran uanni ſpira,
Onde ſceſe (e'l nemico ancor s'adira.)
La norma à noi d'antiche leggi, e noue;

Carco di gloria al ſuo bel nido riede,
Fatto di fere ree ſtratio, e conquiſto,
Co' ſacri artigli di ſua forza inuitta.

Poſa haurà poi ne la dorata ſede,
Quando a l'hora sù in ciel ferma, e preſcritta,
Vedraſsi far del ricco corno acquiſto.

H595
N479s
V.I

J595
N479s
V.1